



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Consilia Seu Responsa Juris**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL**

Præfatio Ad Lectorem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

( O )

---

## PRÆFATIO AD LECTOREM.

**D**ivites Auri Fodinas olim aperuit R. P. FRANCISCUS SCHMALZGRUEBER S. J. in doctissimis suis ad Decretales Gregorii IX. Lucubrationibus Canonicis, ex quarum pretioso Metallo Arma ipse fabricavit splendidissima simul & fortissima ad propugnandam Justitiam, Consilia inquam, seu Responsa Juris in Causis gravissimis, ac intricatissimis data: simulque Exemplo suo Methodum docuit, qua erutam ex opulentis illis Venis Doctrinam non ad inanem Nominis Famam, sed ad Æquitatis, ac Legum Ecclesiasticarum Defensionem, Lector Benevole, impendas. Nam Discipulorum Utilitati hæc offeruntur: Viri in hoc præliandi genere exercitatis nequaquam obtruduntur. Uti ab his non improbandum, ita ab illis commendandum suum studium is sperat, qui post multorum querelas, & amicas exprobrationes hanc Panopliam à Mortuo violenter extorsit, quam olim precibus à Vivente impetrare non potuit Literatus Orbis. Nec invito credimus Viri præstantissimi pios Manes, si publicæ Utilitati post obitum servire cogatur, qui se in Vita omnium commodis totum Iponte devoverat.

Habes igitur, Lector Benevole, multa ex his Armis (nam magnam eorum partem Personarum ac Negotiorum Ratio prodere non permisit) in duos interim Tomos, tanquam instructissimum Armamentarium congesta. Invenies hic ancipites Gladios, dum Leges interpretatur: acutissima Tela, dum Rationes vibrat in Hostes: impenetrabiles Clypeos, dum Adversariorum Insultus repellit: fortissimos Arietes, dum Argumentorum Mole contrariæ Partis Propugnacula evertit: omnem Armaturam Fortium, tum in variis Germaniæ Tribunalibus, tum in Curia Romana elaboratam, totidem Veritatis Trophæa, & Victoriarum Monumenta. Hæc antequam curiosius lustres, vel in usum tuum convertas, de paucis admonendum Te duximus.

I. Nec Linguae Latinae aut Vernaculae discrimen, nec ullum Materialium Ordinem observare, & ne quidem hujus Consilii nostri Rationes hic exponere placuit. Quod in Armamentariis præstant accurata Inventaria, idem præstabunt adjecti his Tomis Indices.

II. Si tibi ex his Consiliis aliqua minus placeant, non exinde Te arguemus. Plurima modo non probantur Arma, quæ tamen Heroibus Illustres pepererunt Victorias. Dein Authori plurimis Negotiis obruto, non id semper tempus indultum fuisse facile Tibi persuadebis, quod poliendis ad splendorem Responsis suffecisset. Ratio etiam sæpe habetur eorum, quorum usibus aptantur. *Interdum locus, vel tempus non patitur plenius deliberandi Consilium*, effatum est Ulpiani *L. i. princ. ff. de Exercit. Action.* Neque etiam eundem Defensionis, aut Oppugnationis Apparatum quælibet Causa desiderat. Risui se exponeret Miles, si contra imbellem Hostem Cataphractus procederet. Demum, ut commune Proverbium dicit, fabricando Fabri fi-

## PRÆFATIO AD LECTOREM.

mus: Quid mirum igitur, si etiam Author noster frequenti ac longo usu in elaborando hoc Armorum genere profecerit. Laus sua constabit Armamentario, etiamsi tela quædam hebetiora, gladios quosdam minus acutos, thoraces nonnullos minus politos exhibeat, modò præstantiorum Armorum Copiâ abundet.

III. Quòd si rubiginem ex Typographorum incuria inductam deprehendas, comüne hoc optimorum Librorum fatum esse non ignoras. Nam iis, qui maximè vellent & possent purissimos Codices in lucem promovere, otium plerumque non suppetit ad laborem hunc tœdiò plenissimum subeundum. Accedit, quòd non eodem sub prælo, nec sub iisdem Oculis uterque Tomus sit impressus.

IV. Authores reperies allegatos plurimos, præstantissimos. De eorum Mente quo minus dubites, jure suo postulat Authoris sinceritas & Industria, quæ ad cudenda tela sua adulteratis Metallis non indigebat, nec vano Stratagemate auxiliarium Copiarum numerum simulare solebat. Nihilominus quis Vadem se præstabit, in tanta Negotiorum mole, & scribendi assiduitate, nunquam aberrâsse calamum in fingendo quodam numero? nonnunquã Editionum diversitas facit, ut errorem credas, quod emendatissimè est expressum. Haud rarò, dum aliis Libris impressis fidimus, in nocenter decipimus.

V. Nomina Locorum & Personarum plerumque immutavimus, ne passim omnibus pateat, quis horum telorum Scopus fuerit. Nonnunquam tamen dissimulandum nihil credidimus, ubi partes in apertam jam aciem per publicos Typos aliàs processisse deprehendimus. Nemo autem, sive aperto, sive tecto nomine se hic agnoscat, Armis istis impugnatuna se credat, sed solùm modo Causam, & iis quidem vestitam circumstantiis, sub quibus Authori erat proposita. Hoc si minus sincerè factum sit, salva manent cujusque Jura, & Consiliorum Utilitas, etiamsi cum Umbris decertâsse arguatur Author. Nec indignandi Causam habent illi, qui Virum aliàs amicissimum pronuntiando contra se pugnâsse vident. Cogitent isti, eum in Academiis locum tenuisse Authorem, ubi *quis in vitis tenetur consulere. Gloss. in l. 2. C. de Prox. Sacr. Scrim. v. Confessum.* Nam *Reus est, qui veritatem occultat --- quia prodesse non vult. C. 1. de Crim. fals.* Expectaveras fortè, egregium hunc Pugilem tuæ potiùs Causæ Patronum fore: perspecta Viri Integritas nos cogit credere, cum non nisi gravibus Rationibus permotum contra Te sensisse. Ast alii, ais, pro me steterunt: nihil communius est, *quam ut circa eandem Causam & Controversiam longè diversa ab integris etiam Collegis proferantur Sententia.* Hæc Replica est Consultissimæ cujusdam Facultatis, cujus Opinionem oppugnavit, Victoriãque obtinuit Authoris nostri Responsum.

De his præmonitus ingredi, Lector Benevole, apertum Armamentarium: Iustra curiosè omnia. Non petimus magnificum Admiratorem, sed nec etiam fastidiosum Contemptorem, multò minus incompetentem Judicem. Si enim conficiendis & vendendis Armis destinati, quos Fabricenses Jura nominant, privilegiatum fortiuntur Forum; longè majori Jure profanis plurimorum Judiciis se subtrahet Consiliorum Author, qui tamen Doctorum meliùs sententium, ac præcipuè Romanæ Ecclesiæ Tribunali sua omnia demissimè subjicit. Quòd si Tela quædam tuæ Pharetræ aprata deprehendas, Tuis usibus dicata crede, & merito Æquiritis Defensori æternam Justitiæ Coronam precare.

ELEN-